

(II.)

scunt per certas *species* vel *formas* & ideas, partim in-  
 sitas partim acquisitas vel ex revelatione, vel ex ex-  
 perimentis, per species à rebus ipsis abstractas, non  
 per sensus, quibus carent, sed mediante intellectu.  
 Neque cognitio Angelorum est *noëtica*, & *intuitiva*,  
 qua per apprehensionem simplicem, omnia simul &  
 una intellectione cognoscuntur; quod tamen vo-  
 luerunt Thomas Ferrar. Capreolus, Cajetanus,  
 Toletus, Suarez, Greg. de Valentia, Tannerus. Sed  
*dianoëtica* & *discursiva*, qua etiam componendo ac di-  
 videndo, atque aliud ex alio colligendo cogno-  
 scunt; quod rectius statuunt Scotus, Gabr. Biel,  
 Greg. Arim. Molina; quia nihil est in ratione di-  
 scursus, quod Angelis tribui nequeat, sive species  
 multitudinem intellectionum, sive successionem  
 earundem, sive progressum à notiori ad ignotius;  
 qui licet locum non habeat in iisdem, circa objecta  
 primò & naturaliter cognita, locum tamen habet  
 circa objecta cognitionis acquisitæ & conjecturalis.

XVI. *Objectum* Cognitionis Angelicæ, est omne  
*Cognoscibile*, Ens & Non-Ens, Possibile & Impossibile,  
 verum & falsum, licet non eodem modo: nam si  
 Intellectus humanus, Angelico inferior, aliquatenus  
 omnia attingit; quanto magis Angelicus Intelle-  
 ctus? speciatiim sunt res tum *spirituales*, tum *materia-*  
*les*; tum *naturales* tum *supernaturales*. Cognoscunt  
 DEUM apprehendendo potius quam comprehen-  
 dendo, propter infinitatem Essentiæ Divinæ; & li-  
 cet Comprehensores dicantur, fit hoc potius com-  
 paratè ad Viatores homines, quam absolutè; Co-  
 gnoscunt a. DEI *existentiam*, naturaliter; quia DE-  
 UM esse, ex quovis effectu DEI, intuitive cognito,

B 2

cogno-